GVIL. BARCLAYI

AMOENIORVM ARTIVM,

&

MEDICINÆ DOCTORIS

SYLVÆ TRES.

EDINBURGI,
Excudebat Andreas Hart.
Anno 1619.

BRITISH MUSEUM

AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, SUPREMOQUE SCOTORUM SENATUI.

PROFECTURO *in alterum angulum* Britanniæ, Angelicam *illam* Angliam, (P. C.) *in degressu è suavissimo solo, quod primum tetigi, visum est valedicere civibus, consulere amico, insultare agyrtæ, generi hominum triplici, tribus sylvis: quas, ne pereant, inscribo vestro dignissimo cœtui. Certè fœcundiorem materiem subjiceret lucundissimus conspectus vester, sed* egressus *aliquando* sylvis, *majus illud opus molior. Interim liceat meminisse Saltus & calles consulibus assignatos. Quid hæc talia ad Medicum? dicet aliquis. non*

neſcio veteres exiſtimaſse Apollinem, & Muſices & Medicinæ præſidem: adeoque non minus pertinere ad Medicum canere quam curare. Addo morbos etiam aliquos non abigi ſine carmine. Cumque oculis noſtris Medicorum perpetuo obverſentur

Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago,

cur nobiſmet ipſis non liceat aut providere, aut mederi, tam parabili hoc remedio, cantu? Vt ut eſt, do, dico, addico vobis meque & mea omnia; vehementer rogo, ut quieſtis Patres Patriæ, ſitis harum literarum patroni, quæ propriè hominum ſunt, & quibus aliquando luxit Scotia *præ multis gentibus, & cum Deo, lucebit.* Valete.

AMICVM LECTOREM SALVERE IVBEO.

CVR Sylvas ſacraverim SENATVI, Amice Lector, rationem reddidi SENATVI: cur autem ſacraverim tantum tres, reddam rationem, ſi placet, tibi. Pater humanæ ſapientiæ cenſuit *tria eſſe omnia*: ergo cum omnia deberem, tria dedicavi. Officiorum deinde ratio, poſcit charitatem in patrlam, benevolentiam erga amicos, fortitudinem adverſus hoſtes, ut Chriſtianè lo-

quar, publicos. Conatus ſum oſtendere tribus poëmatis, me collimare ad hæc tria, & omnes vitæ partes.

Tribus explicare chartis.

Optime Lector, ſi libenter iſta legeris, agam gratias; ſi legeris minus libenter, ages tu mihi gratias, qui prava, paucis, dedi.

Vale.

DE SENATV SVPREMO SCOTORVM.

INgresso ad Themidis thronum his diebus,
Cui Caledoniæ assidet Senatus,
Succurrit mihi nunciasse falsa
Hunc; qui Parrisiis forum flagrasse,
Nostris, flagrio, nunciavit oris.
Dixisset potius forum migrasse
In Caledoniam, annuente Gallo,
Germanam propé Galliæ sororem.
Certè si domus ipsa non migravit,
Totus ipse Senatus huc migravit.
Harlæum modo principem Senatus
Audimus, modo præsidem Thuanum,
Nunc Brissonium in abditis peritum
Nunc pacis patrem amabilem Brulartum,
Seruinos totidem quot advocatos.
Tota est curia plena Galliarum.

GVIL. BARCLAYI MED. DOCT. ABERDONIÆ SVÆ APOBATERION.

Sic Aberdonia Ptolom

O Devana, resuscitatæ Athenæ,
Septem gloria civitatis trionum:
O Devana, Britanniæ recessus,
Et secessus Apollinis, chorique
Pulchri Apollinis, ante mille Delphos.
Non te propter aquas amo salubres,
Quas per me bibit universus orbis:
Non propter fluvios opum feraces,
Ob quos SCOTIA Gallo abundat auro,
Quando Dona, bonus pater, quotannis
Mittit per maria incolas suos, &
Refert in patriam aureorum acervos.
Non ab hæc amo te, sed ob virorum
Civile ingenium, atque amœnitatem.
In queis, quatuor eruditionis
Iusto examine, suavitate morum,
Lucent præ reliquis: tenetque primas
Horum primus in urbe, non in urbe;
In regno tenet ille pene primas.

Intelligo Callirhoem fontem quem scripto laudavi.

Seu

Seu fundit ſacra mella litterarum,
Seu ſpectat placidâ aure conſulentes,
Seu diſcordia corda pace jungit,
Seu taxat male cogitata, dicta,
Facta, taxat ut hoſtis, atque amicus.
Vere Epiſcopus, ore, more, amore.
Alter par ſtudiis, modoque vitæ,
Cenſu poſterior, loco, graduque,
Affectu gemino trahunt, trahuntur
Ad cœlos ubi mentibus morantur:
Myſtiſque omnibus hi duo antecedunt,
Quantum ipſis ſibi & hinc, & inde cedunt.
Adeſt tertius alpha doctiorum,
Antiſtans mihi millibus trecentis,
Quem per, hæc Borealis elegantûm
Stat Reſpublica fulta litterarum:
Cui tot Phœbus Apollo ſerta debet,
Quot duxit juvenes ad alta Pindi.
Quartus ſi admoveat manum, putabo
Brevi ſepoſitos meos Britannos
Vobis Pariſii, ô ocelle mundi,
Miſſuros iterum eruditionem.
Ob hos plus oculis meis te amabo,
O Devana, reſuſcitatæ Athenæ
Septem gloria civitas trionum.

Seu

Seu me nobile Belgium tenebit,
Seu Germania imago charitatis,
Seu altæ mœnia tam ſuperba Romæ,
Seu Gallus pater hoſpitalitatis,
Seu dia Anglia patria Angelorum,
Quo me fata trahunt, precorque ſiſtant,
Et deſiderium tui tam acerbum
Dent ægro mihi ferre non acerbè.

Ad Guil. Leßium.

LEssi, prime ſodalium meorum,
Procul natus in ultimis Britannis,
Moravia. Sed in quâ regione non puderet
Poetas ſua collocare Tempe.
Iſthæc ſanguine lavit arva Danus,
Hic pulchri poſuere caſtra Picti,
Hic ver menſibus haud ſuis, & æſtas,
Quãdo eſt horrida, & hinc, & inde, bruma:
Laxius Hanc interſecat hoſtis amnis oram,
Qui fano excidium ultimum minatur,
Fano, quo nihil axis iſte noſter
Vidit ſplendidiuſque, cultiuſque:
Sed ô prime ſodalium meorum,

In

In primis popularium tuorum:
Te Moravia tanta non tenebit,
Non te Marria sic amata Musis,
Non; si audis tibi sana consulentem:
Ito ad jam celebres diu Batavos,
Illic Meursius audiatur, illic
Felix Heinsius ille, quem magistri
Multus Scaligeri polivit usus.
Si fastidia territant aquarum;
Ito Lovanium, alteras Athenas;
Illic pulpita Lipsium loquentur,
Reddentque illius ossa te eloquentem;
Qui vivus docuit disertiores,
Est jam materies disertiorum.
Si tandem jubeat te adire Gallos,
(O suaviſſima terra Galliarum,)
Si tamen jubeat te adire Gallos,
Aut fama, aut fauor eruditionis,
Quæso videris è via Duacum.
Hinc te Parrisios agas, ut omnes
Junctim Apollinis haurias liquores.
Si venti paterentur hinc vocantes,
Si jam carbasa tensa non tumerent
O quam Parrisios ad astra ferrem,
Unos Parrisios ad astra ferrem.

Sed

Sed fors laudibus à Marone ſcriptis
Captus Italiam videre curas;
Leſſi, multa habet hoc iter monenda,
Cis citraque nivem Alpium potentem.
Sed me Parriſiis tenent amici,
Tenent Parriſii meos amicos,
Et me Parriſii meis cum amicis
Ergo Parriſiis redi ad remotos,
A mundo altero, ad alterum, Britannos.
Hic Regina mariſque & Inſularum,
Altrix Anglia pacis, atque belli,
Quæque nec timet arma, nec minatur.
Hæc talis te aliquot docebit annos:
Canta-brig. Seu colas ubi foſſa Vandalorum,
Quo miſit Probus improbos colonos,
Nunc regnant ſacra ſancta litterarum;
Et flaventia ſerus arva tingit
Crocus Flos qui vincit odore mille Tmolos.
Seu vivas ubi Doctor ille noſtras
Oxo-nium. Subtili peperit volumen arte;
Quod volumen ab occidente ſole,
Ad ſolis penetrat rubentis ortum.
Hic Muſea ſuperba ad aſtra ſurgunt,
Glorioſiùs hic Apollo degit,
Quam olim degit in Atticis Athenis;
Aut nunc degit in Italis Athenis.

Ad tuos properas redire Scotos,
Tandem dives opum utriusque linguæ:
Londinum prius intimè videbis,
Tot palatia, castra, templa cernes,
Uncto vectus & elegante lembo,
Aut curru Iove, vel sorore, digno,
Per mundissima strata latus, ibis
Ad campos, propria ambulachra, Divûm, Moore Fields.
Tot festis ubi millia ambulantum,
Quot, fausto duce, funderent Iberos.
Aut turrim ædis Apostoli eminentem
Scandas, unde videre Microcosmum
Possis, atque homines homunciones.
His actis propera domum redire,
Ut sis, quod cupio, unus è senatu,
Vel, quod suadeo, candidus petitor,
Vel, quod jure merêre, fis patronus,
Disertissimus omnium patronus.
Sic Spes altera curiæ ambigentis, *Alluda ad Hope advocatum.*
Sic eris pater unus innocentum,
Sic eris pavor omnium nocentum:
Sic eris, quod es, & quod es futurus,
In primis popularium tuorum,
Lessi, prime sodalium meorum.

Sed fors laudibus à Marone ſcriptis
Captus Italiam videre curas;
Leſſi, multa habet hoc iter monenda,
Cis citraque nivem Alpium potentem.
Sed me Parriſiis tenent amici,
Tenent Parriſii meos amicos,
Et me Parriſii meis cum amicis
Ergo Parriſiis redi ad remotos,
A mundo altero, ad alterum, Britannos.
Hic Regina mariſque & Inſularum,
Altrix Anglia pacis, atque belli,
Quæque nec timet arma, nec minatur.
Hæc talis te aliquot docebit annos:
Canta-brig. Seu colas ubi foſſa Vandalorum,
Quo miſit Probus improbos colonos,
Nunc regnant ſacra ſancta litterarum;
Et flaventia ſerus arva tingit
Crocus Flos qui vincit odore mille Tmolos.
Seu vivas ubi Doctor ille noſtras
Oxo-nium. Subtili peperit volumen arte;
Quod volumen ab occidente ſole,
Ad ſolis penetrat rubentis ortum.
Hic Muſea ſuperba ad aſtra ſurgunt,
Glorioſius hic Apollo degit,
Quam olim degit in Atticis Athenis;
Aut nunc degit in Italis Athenis.

Ad tuos properas redire Scotos,
Tandem dives opum utriuſque linguæ:
Londinum prius intimè videbis,
Tot palatia, caſtra, templa cernes,
Uncto vectus & elegante lembo,
Aut curru Iove, vel ſorore, digno,
Per mundiſſima ſtrata latus, ibis
Ad campos, propria ambulachra, Divûm, Moore Fields.
Tot feſtis ubi millia ambulantum,
Quot, fauſto duce, funderent Iberos.
Aut turrim ædis Apoſtoli eminentem
Scandas, unde videre Microcoſmum
Poſſis, atque homines homunciones.
His actis propera domum redire,
Ut ſis, quod cupio, unus è ſenatu,
Vel, quod ſuadeo, candidus petitor,
Vel, quod jure merêre, ſis patronus,
Diſertiſſimus omnium patronus.
Sic Spes altera curiæ ambigentis, *Alludo ad Hope advocatum.*
Sic eris pater unus innocentum,
Sic eris pavor omnium nocentum:
Sic eris, quod es, & quod es futurus,
In primis popularium tuorum,
Leſſi, prime ſodalium meorum.

In Vappam Circulatorem.

VAppa peſſime Vappa peſſimorum,
Nullus hendecaſyllabos mereris,
Manes melliflui pios Catulli:
Sed merêre celerrimos Iambos,
Acria Archilochi venena linguæ.
Abundat tua toxico cataſta;
Fætet materie officinâ putri,
Quam Batavia miſit exoletam,
Ante annos aliquot tibi ut recentem.
Hinc miſelli operâ tuâ coloni
Emunt & Colocynthidem, atq; mortem.
Sed tu Vappa loquacior cicadis,
Et mendacior omnibus Pelaſgis,
Inter pocula, crimen innocentes
In morbos jacis, interimque celas
Turpem avaritiam calumniator.
Vinum non bibis; at quid inde? noſtras
Fermentum facit ebrioſiores,
Quo madeſcis in omnibus tabernis;
Dives Pharmacopola, cujus omnes
Merces vnius æſtimantur aſſis.
Chirurgi quoque vendicas honorem,
Nec audes tamen aut ſecare venam,
Aut interritus ulcus intueri.

Biere, or Aile

Inter garrulus ebrios ſodales
Es ſodalibus unicus Galenus.
O vitâ mihi charior vel ipſâ,
O dulciſſima patria, inter amnes
Duos edita, qui dedere nomen. —
Impoſtor reus hauriat cicutam,
Bibatque ipſe domeſticum venenum,
Qui dat civibus exterum venenum.
Aut portetur in Inſulam ſceleſtus,
Ne ſolatia ſentiat ſuorum.
Aut ſaltem jubeatur urbe veſtrâ
Clitellas redeat citò ad paternas.
Aut detur remanere in urbe veſtrâ,
Sit inter capite, abſque honore, cenſos.
Vel ſi Lictor adivit ad tenebras,
Diſcat mancipium manus ligare.
Ne credat ſibi me eſſe non amicum,
Sit lictor ſibi, ne ſit otioſus:
Utque ſe expediat, libens Iambos
Mittam, funibus & furore, plenos.

Aber-
donia,

FINIS.

Inter garrulus ebrios sodales
Es sodalibus unicus Galenus,
O vitâ mihi charior vel ipsâ,
O dulcissima patria, inter amnes
Duos edita, qui dedere nomen.
Impostor reus hauriat cicutam,
Bibatque ipse domesticum venenum,
Qui dat civibus externum venenum.
Aut portetur in Insulam scelestus,
Ne solatia sentiat suorum.
Aut saltem jubeatur urbe vestrâ
Clitellas redeat cito ad paternas.
Aut detur remanere in urbe vestrâ,
Sit inter capite, abique honore, censos.
Vel si Lictor adivit ad tenebras,
Discat mancipium manus ligare.
Ne credat sibi me esse non amicum,
Sit lictor sibi, ne sit otiosus:
Utque se expediat, libens Iambos
Mittam, funibus & furore, plenos.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 8 JUL 80